



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Symphorosa Cvm VII. FF. MM. 18. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

tem inclamarent, vivum lugerent. Spectabat interim siccus suorum lacrimas, vivus suas exequias; appellabat patrem matremque, nec filius audiebat; basibat servorum suorum manus & ab his servilia multa patiebatur, jam pugnis contusus, jam sordibus perfusus. Sed demum mors siparium reduxit. Vox etenim humanâ major Romanum & Pont. & Imp. ad demortuum excivit. Ibi ALEXIVM prodiderunt vultus astro similis & literæ in manibus reptæ, quibus ipse fabulæ totius argumentum descripserat. Et placuisse fabulam Cælum ostendit, cum miraculis applausit, toties plausus repetiturum, quoties fabulam juventus. *Ex Metaphor.*

S. SYMPHOROSA CVM
VII. FF. MM. 18. *Italii.*

Reliquit Getulius M. post se conjugem SYMPHOROSAM & VII. filios. Bonum factum! è tantâ familiâ neminē reperias degenerem. Scires illam Martyris uxorem, hos filios esse, qui sanguine tincta parentis vestigia fortiter insisterent. Ergo Adriano Imp. sistitur animosa cohors; & ecce mater ducit. Blanditiis, minis, tormentis omnibus pugnatur. Sed vincunt in filiis mater, in matre filii, dum ante oculos patris volat memoria, & Martem ejus, quem fundi viderant, sanguis accendit.

Cum

Cumque mater in præterfluentem cum appendice saxo abjicienda esset, præco, clamabat, filios ad victoriam mater. Si filii estis, ad patris dexteram & matris sinum etiam per tela & ignes curretis. Ecce morior; pulchræ mortis heredes quos nisi filios dicam meos? Iamque valte: ego mulier per undas portum peto. Si viri estis, per vulnura viam in cælum animo facietis. Dixit & undis mersa, quò voluit, enatavit. Postridie fortissima turba iterum producit, singulique ad palum ligati statuuntur, quasi verò in hæc pugna tyrones & non veterani jam essent. Inde CRESCENTIVS ferro guttur, IULIANVS pectus, PRIMITIVVS umbilicum, NEMESIVS cor trajicitur, & omnes adversa vulnera sibi gratulantur. Iam EVGENIVS in duas partes, at IVSTINVS, ut amplius augeret fraternam aciem, membratim disseccatur. Denique STACTEVS omnium telorum stat scopus. Neque jam Tyrannus prohibere potuit, quo minus fratres secutus ad astra evolaret; pennas tot sagittæ addiderunt. *Ex Rom. Brev.*

S. ARSENIUS C. 19. Iulii.

ARSENIUS bonis artibus & virtutibus juxta clarum Arcadium & Honorium Theodosii Aug. filios literis imbuendos & pietate accepit: quod munus tanti pius Imp. fecit, ut eum non

C c filio-